COSMOGRAPHIA PHYSICA:

8° 8606

SEU

MUNDI MATERIALIS PHILOSOPHICA DESCRIPTIO.

Secundùm Doctrinam *Mosaïcam*.

Autore RICHARDO BUNWORTH.

Bunworth
M. 22. 107

Londini,
Impensis Autoris 1650.

COSMOGRAPHIA PHYSICA.

Caput 1.

De materia prima, necnon principiis mundi instrumentalibus, ac materialibus.

PRima rerum materia realem ac positivam entitatem, nisi deitatis infinitatem, agnoscit nullam. Quocirca Materia prima est Deus: quocum nihil fuit co-æternum; absurdum enim. Nec * inde-

* C
nim
tun
terr
tun
tun
alic

terminatum creavit aliquid, repugnat scilicet.

Verùm enimvero ea est ingenii crassities ac hebetudo nostri, ut indeterminatum quippiã, determinabile tamen, primum omnium materiale præexistens principium nobis videri necessum. Hoc autem nîl aliud excogitari potest quàm *Vacuum*, seu spatium imaginarium: juxta *Moysen* ἀνθρωποπάθως philosophantem, Geneseos primo : *terra erat vacua.*

Vacuitas hæc, eodem autore, non ineptê comparatur aquis; minima quarum pars ejus-

ejuſdem exiſtit naturæ cum toto : quo modo non imaginandum (ante creationem) hoc aut iſthoc ſpatium ab alio diſſentaneum, ſed ubivis idem : nec inferius ullum à ſuperiori vacuo alienum, quippe futurum adhuc erat firmamentum aquas ab aquis diviſurum : uſque dum Deus [a] movendo circumſcriberet, nec non circumſcribendo moveret aquas. Motus enim & circumſcriptio unici duntaxat actûs coëxiſtebant proles, qui duo, in fieri, principia fuerunt creationis inſtrumentalia, non aliter quàm ſunt conſervatio-

[a] Deus enim non neutraliter movebat ſupra faciem; ſed activè movebat ſuperficiem i. e. movendo circumſcribebat aquas.

nis, dum in facto esse considerantur. Præterea quòd motus effecit calorem, circumscriptio locum, motus simul cum circumscriptione tempus: quæ tria, *viz.* tempus, calor, & locus unicè ac totaliter universitatis hujus ingrediuntur compositionem; à quorum mutuâ invicem analogiâ quælibet creatura ἰδιοσυγκρασίαν accepit suam: quâ cùm specificè denominatur, tum individuè supponitur: exempli gratiâ: à loco & calore primitus, id est, minimo tempore existentibus emergit elementum, quod è vestigio à circumscri-

undi sc. b
teriales.

ptione

ptione inferiorum aquarum ſupplebat vicem. Etiamſi enim circumſcriptio, in fieri, aquas ab aquis ſecreverit; firmamentum tamen in facto eſſe, vacuum diſterminavit ab elementis, quorum numerantur tria, *viz.* cœlum, aqua, & terra: quæ, penès tempus indiſcreta, mixtis contradiſtinguuntur corporibus: quinimo, ſecundùm caloris ad locum diaphoram, ab invicem ſecernuntur. Locus enim ut à motu non æquidiſtat, ità nec æquipollet calore: ſed prout vicinior motui aut remotior,

iutentiori potitur calore aut remissiori.

Hinc raritas, densitas, ac inter utramque humiditas; quemadmodum enim à motui vicinitate caliditas; sic à caliditate soboleſcit raritas: & è contrá.

Porrò calorem intensum rarefacere, remissum condensare consentiunt universi, nec non experientiâ compertum habemus. Verbi gratiâ: aqua calore intenso in vaporem & aêrem resolvitur; remisso in glaciem ac terram condensatur, medio, id est, vernaculo

naculo calore conſervatur. Quum igitur locus humiditate jam indutus, alieno potitus calore, raritatem induit, aut proprio privatus humiditatem ſibi deveſtit; multò magis nudus, penès caloris intenſionem, remiſsionem, medietatem, exiſteret rarus, denſus, humidus. Prænotandum autem frigus nihil aliud eſſe quàm calorẽ remiſſum in loco, quod ſecundùm quid privatio caloris poteſt appellari: locus enim abſolutè calore privari nequit: ſic vicino ſole infima pars cœli incaleſcit, at ſole re-

moto privatur suo calore & necessariò refrigescit.

Adde huc positiva dari contraria impossibile: quum igitur calorem positivum quid esse luce clarius sit; frigus caloris privationem esse oportet.

Caput II.

De Cœlo.

Cœlum est corporis mundani pars exterior; totum scilicet isthoc mundi spatium quod primitus extitit rarum.

Quod

Quod quamvis bifariam aliquatenus ſumatur, *ſc.* aut pro aëre in quo ſpiramus, vel pro aëris ſuperficie, ſeu firmamento cui ſidera inhærent, non duo ſed unum revera ſupputandum : quippe ſuperficies ſine corpore nulla, nec abſque ſuperficie corpus ullum datur.

Inſuper non hujus ut ſolidi corporis ſuperficies ad eundem ſe habet modum : quælibet enim corporis hujus pars ſucceſsivè ſuperficiem agit ; dum ſuperno calore continuò à terræ globo ſurſum attrahitur, ac deorſum vi vacui nuſ-

quam non prolabitur. Quemadmodum videre est in ebullientis aquæ globulo, cujus superficies orbiculatim movetur, etsi quælibet corpusculi istius pars sursum nititur deorsúmque procidit.

Caput III.

De aqua, ubi de maris fluxu & refluxu.

AQua est pars mundi humidior, quæ cœlo fuit contemporanea, undiquaque terram circumtegens: atqui verò

collectio aquarum in unum locum cœlo fuit posterior. Aquarum enim, collectio, collectarúmque reciprocatio ex cœli motu dependent: quæ in hunc perficiuntur modum.

Calor celerrimi circumgyrantis firmamenti vicinum attrahit aërem, cujus suppeditat vicem alter huic vicinus, postremò autem infima pars cœli attrahitur, hanc demum aquas sequi necesse est, alioquin daretur vacuum. Hoc pacto colligebantur aquæ, perficitúrque maris fluxus. Ast refluxus dependet ex insita pro-

prietate

prietate aquarum ad pristinum locum revertentium, ac collateralem aërem suffundere conantium.

Refluit aqua cujus vicem suppeditat vicinus aër &c. sic tandem firmamentum, vi vacui, mutuò acceptum reluit aërem: usque dum rursus firmamenti calor adjacens requirat cœlum, tum circularem conservandi motum gratiâ, ut calor conservaretur tum fugiendi diluvium, nè destruerentur animalia.

Non verò intelligendum statis temporibus fieri hæc, sed semper alicubi mare flue-

re

re, sempérque refluere juxta continuatam cœli reciprocationem. Unius enim loci, tum cœli tum aquæ, fluxus est alterius refluxus.

Caput IV.

De Terra, ubi de Ventis.

FUit aqua: sequitur terra, quæ est pars mundi densior cum cœlo & aquâ principio coëxistens: at superficiei illius ariditas aquis collectis fuit contemporanea.

Hæc ob inertem illius soliditatem cœli motum, ut aqua, imita-

imitari nequit; quare aquosior hujus pars, vi vacui, in vaporem ventosum rarefacta elicitur : quemadmodum cucurbitulâ carnoso humani corporis membro, ut artis est, applicatâ, humidior illius pars rarefit & protrahitur : at liquor inalteratus absorbetur.

Vaporem hunc terrestrem, vi vacui illicitum, subitò attenuatũ, ac angustos adeò terræ poros permeantem violenter erũpere necessarium. Quẽadmodum aqua imposita in collem Philosophum (sic à Chimicis vocatur) ignique admota ut rarefiat ingenti

cum

cum strepitu ob ignem oppositum, ac magno cum impetu ob angustum instrumenti orificium erumpens procellit.

Fuerunt elementa, sed priusquam corpora composita aggrediendum, pura dari elementa nécne objiciendo ac respondendo enucleandum.

Cap. v.

QUandoquidem ex motu dependeat universitas hæc, necesse est, ut quicquid in eâ continetur, in suo nequaquam permaneat statu. Cœ-

lum enim continuò surgendo, ac superficiei, id est, primo mobili appropinquando, velociorem paulatim obtinuit motum, calidius ac rarius evasit; necnon deorsum semper ad terram agendo, pigriùs movit, frigidius ac densius fuit.

Aqua ad eundem se habuit modum.

Terra, quamvis motui non destinata, ob cœli ambientis motum continuando incalescebat. Indidem elementa non prius facta fuerunt, quàm fuerunt in ῾ῳ̃ alterari.

it ur. Elementum nisi in ῾ῳ̃ fieri con-

consideretur, absolutè non posse elementum denominari, quamvis secundùm quid, in facto esse elementi sortiatur nomenclaturam. Prænotandum autem τὸ fieri elementorum, & τὸ fieri motûs & circumscriptionis simul esse in instanti; nihil autem impedire quò minùs τὸ fieri motûs & circumscriptionis sit caussa τῶ fieri elementorum.

Respondetur non dari temporis instans: nè tantillum enim temporis τὸ νῦν potest concipi, quod non infinitè divisibile. sequitur indè, quod non nisi in instanti fuit nunquam

quam fuit.

Responsioni objicitur.

Esto, non detur temporis instans, quoniam ex motu tempus dependeat: nihilominus instans præcessisse tempus oportet, quod necessariò inciperet alioquin non tempus esset, sed æternitas. *Respondetur.*

In hunc modum circumscriptionem mundũ præcessisse consideravimus: ast quemadmodum superficies non potuit esse sine corpore; ità nec instans hoc, ut vocatur, sine tempore. Sequitur indè, quantulum quantulum fuit, quid temporis fuit: quo pacto non insti-

tit

tit ſed ſucceſsit. Præterea, poſito quòd abſolutè fuiſſent in inſtanti, nihilominus, cùm ob ſpatii in infinitum diviſibilitatem, tum ob caloris ad locum infinitam proportionabilitatem, pura nequaquam extiterunt elementa. Quamobrem, in præcedenti de elementis diſcurſu, nullum meritò habuimus graduum qualitativorum rationem : eſto enim innumerabiles ſint caloris in loco gradus, totidémque raritatis : attamen omne id quod potuit denominari rarum vocavimus cœlum, & ſic de cæteris. Ubi notandum,

elementa mixtis corporibus duntaxat secundùm quid contradistingui.

Ex elementis omnia fieri nulli non perspicuum; at quo modo ex his continuatione solâ tanta rerum varietas emergat, quod non omnibus pervium, ex sequenti discursu patebit.

Cap. VI.

CAlorem & tempus idem agere placuit *Aristoteli*: cui sententiam isthanc multarum rerum experientia fortasis intulit. At si rem accuratiùs per-

perpendemus, tempus nihil agere, ac calorem solum esse omnium agens apparebit.

Solidum corpus, ut ferrum, stannum, cuprum aut aliquid his non dissimile sesquipede vel circiter ab igne distans, tempore incalescet; quod, si in ignem imponatur, ac citissimè dehinc auferatur, vix ullum acquiret calorem. Interea tempus nihil agit, sed calor per tempus vel in tempore. Observandum igitur, quamvis calorem, tempus & locum principia mundi materialia assignavimus, calorem solum esse agens universale; tempus autem

autem & locum calori quasi ancillas ad suum peragendum opus. Sic per calorem, secundùm loci ac temporis dispositionem fiunt omnia: Per calorem loco vicino, fit cœlum: per eundem, non tam vicino fit aqua. Per calorem, loco adhuc magis remoto, fit terra. Ex terra, per calorem, fiunt vegetabilia, animalia, metalla, mineralia &c. Ast ob terræ à primo mobili distantiam, calor ambiens fuit tam remissus, ut non potuissent, nisi mediante tempore, ex hac omnia fieri. Frigidioris naturæ futuris breviori opus fuit tempore,

cali-

calidioris longiori. Vegetabilia enim frigidioris temperamenti, priùs quàm animalia calidioris fuerunt creata.

Vegetabilium autem primò molliora, *viz.* gramen & herba; dein duriora, *scil.* frutex & arbor.

Animalium etiam, primò pisces, dein volucres. Gradatim verò terrestrioris naturæ animalia facta fuerunt: quippe aquosior terræ pars, impressionis capacior; durior verò impressionis difficilioris.

Antequam vegetabilia aggrediendum, utrùm potuissent vegetabilia ex terra produci, priusquam Sol factus fuerit explicandum.

Caput VII.

TEmpore hyemali, ob solis distantiam, terræ superficies, necnon infima pars cœli exalgescunt adeò, ut non solùm herbæ nequeant ex terrâ produci, sed etiam jam productæ, gelu perstrictæ corrumpuntur. Multò magis propter absolutam solis privationem

tionem earum impediretur generatio.

Respondetur, Ante creationem solis, nec æstas fuit nec hyems:

Sed tempestas tunc temporis æstate frigidior ac hyeme nostrâ calidior vegetationi fuit aptissima. Priusquam enim fuit positio non potuit esse privatio. Sole nondum creato, ut non commodum ejus sensit terra, ità nec incommodum: quemadmodum scaturiens aqua nuperrimè creata, maximam ob solis distantiam, nullâ afficitur injuriâ: at semel sole vel igne calefacta, tempestate

tempestate pruinosâ conglaciabitur.

Porrò plurimis exemplis potest patefieri congelationem non alio modo evenire, quàm per caloris extranei positionem, ac ejusdem rursus privationem; sed nimis tædebit.

Cap. VIII.

De Vegetabilibus.

VErno tempore, humi arabilis portio imponatur vasculo subdiali: nulla inibi spargantur semina: nihilominus intra mensem scatebunt

bunt herbæ, quæ, si sinantur, sementabunt, harum vegetatio fit in hunc modum.

Calor portionem hanc soli ambiens disgregat viscosam ac mucilagineam partem à solidiori, quæ vix dum homogenea, per eundem calorem iterum in diversas particulas disgregatur: ast ob secundam segregationem, parvæ mucilaginis hujus portiunculæ satis homogeneæ fiunt, ut per ambientem calorem congregentur; tum demum caloris ambientis adminiculo fiunt individua. Individuis jam factis, calor alicujus eorum innatus

nec

nec dissipatur, nec dormit: sed minimum hoc corpusculum quadantenus sentiens heterogeneum disgregat iterum ejus heterogeneitatem: atqui disgregando non, ut adventitius seu ambiens calor, individuitatem aufert. Omne enim individuum, universum patrizans, instinctu individuitatem molitur suam. Servatâ igitur unitate, partem terrestriorem in terram dejicit, aëream magis in aërem attollit; in hunc modum fiunt radicula, caulis & foliola: his autem factis, fit vegetabile.

Sementationem quod attinet:

tinet : idem opifex calor eodem modo operatur : nisi quod ex terra herbas, ex herbis semina procreat; disgregat enim primò mucilagineam herbarum partem à solidiori, deinde mucilaginem hanc in diversas segregat particulas, tum demum particulas congregat, & exsiccat, hoc pacto fiunt semina.

Pari modo vegetabilia in principio fuerunt creata. Ob primogenitam loci & caloris analogiam terræ corpus primitus extitit heterogeneon: ast ob calorem cœli ambientem heterogeneïtas ejus disgregabatur, &c.

Non

Non ulteriori opus erit explanatione; sed parvis composuisse magna sufficiet. Prænotandum verò quod secundùm variam terræ dispositionem, vegetabilia illinc orta ab invicem fuerunt discriminata: aquosior ac superficialis magis terræ pars herbas procreavit, crassior verò & profundior arbores protulit.

Cap. IX.

De Sole, Luna, & Stellis.

POst vegetabilia creati fuerunt Sol, Luna, & Stellæ: quo-

quorum materia nil aliud erat quam unctuosa quædam è terrestri globo exhalatio ; quæ ob diutiorem adhuc æquabilis caloris continuationem fuit procreata.

Luminaria ab invicem discrepant, prout à diversis globi terrestris partibus exhalârunt.

Sol ab orientali terræ plagâ mundi cardinibus æquidistanti.

Luna ab occidentali maris parte è diametro opposita subsolano.

Stellæ ab illis maris ac terræ partibus, quibus imminent propriæ earum sphæræ.

Stellarum aliæ, lunares à mari mediterraneo: aliæ solares ab insulis exhalârunt.

Omnia in hoc conveniunt luminaria, quod ulteriorem, si daretur, appetant ascensionem.

Quapropter non solùm firmamento insident, ac primo circumrotantur mobili; sed etiam superiùs commoliuntur, ac primi mobilis insurgunt profluvio. Non verò tali cùm conatu materia illorum primitus è terra avolavit: sed ascendendo prout intentiori evenit obviàm calori, celeriorem gradatim obtinuit cursum. Si-

Sidera non tantùm generatim primo mobili contrariò movent, & quasi continuò assçendunt : sed termino, tum loci tum temporis, unumquodque movet suo.

Terminus loci sideris respondet magnitudini : luminarium majora, majus movendo occupant firmamenti spatium.

Uniuscujusque enim luminaris sphæra terminatur secundùm analogiam cœli ad terram ex qua exhalavit, secundùm hoc præsens exemplar.

De-



Deinceps, nulla alia ratio dari potest cur stellæ primo mobili contrariò moveant, nisi quòd ulteriùs ascendere conantur

nantur; at si sphæras hasce præterirent, obliquè moverent & quasi descenderent.

Terminus temporis luminari respondet materiæ. Sic Luna breviori tempore quàm Sol cursum suum peragit: nimirum quòd aquosioris existens temperamenti, non tam firmiter inhæret firmamento, quin proprio possit vacare motui. Eadem est de cæteris ratio.

Sol & Luna, quod à partibus è diametro oppositis exhalârunt, ac ejusdem magnitudinis existentibus eodem movent loci termino. Cæte-

ra finibus differunt suis : eorum verò orbes quamvis discrepant, à terra æquidistant.

Lunæ non semper idem vultus, sed major aut minor conspicitur, prout soli appropinquat, ut in novilunio, vel à sole removetur, ut in pleniluno. Quemadmodum enim illychnium interdiu vix conspicitur; ità debilis lunæ lux ob majorem solis splendorem obscuratur.

Sol subtilioris temperamenti existens, majoris quàm cætera bajulus est luminis, ac in lumine, caloris : ac ideo fuit creatus, quippe ut illuminando

nando calfaceret terram. Terra enim, nisi sole fuisset calefacta, calidioris naturæ creaturas, *scil.* animalia perfectiora non produxisset.

Cap. x.

De Eclipsibus:

ECclipsis Solis fit ob interpositionem Lunæ inter lumen Solare & nostrum conspectum. Etiamsi enim Sol & Luna à terra æquidistent; nihilominus Sol, cùm occurrant, superiorem sortitur locum. Quippe quod Sol ob subtili-

tatem alacriori assensionis fertur appetitu; Luna ob crassitiem suam, respectu solis, facillimè cedit. Porrò non alia inest Soli, nisi unitatis ergô profunditas.

Eclipsis Lunæ fit ob interpositionem terræ inter Solem & Lunam. Immediata Eclipseos Lunæ caussa est umbra terræ. Luna enim non est corpus perfectè lucidum, sed subalbidum: quare ut propalam conspiciatur, aërem requirit quadantenus illuminatum.

Cap. 11.

De Animalibus.

ANimalia ad eundem planè modum, quo vegetabilia, per calorem *scil.* homogenea congregantem et heterogenea ſeparantem, fuerunt è terra primitº producta: præterquam quòd, intenſior tum materiæ, tum ambiens calor animalibus fuit requiſitus. Calor enim (ut ſuprà in diſcurſu de vegetabilibus) ex maſſâ mucilagineâ à ſolidiori terrâ ſeparatâ, diverſa fecit individua, quo-

rum alicujus calor, particularem nactus circumscriptionem, individuitatis ergô, intrò se recepit, nè dissiparetur. Ast intrò receptus calor, intensus adeò fuit, ut vix potuerit intrò contineri. Quare se exspatiavit, seu potiùs (memor enim individuitatis materiæ aliquantulum secum tulit) prosiliit. Cùm adhuc prosiliens fuerit unitatis sagax, se contraxit. Motu hoc majorem acquisivit calorem: qui calor præservabat motum. Interea calor (prout sui potis fuit) aliquantillum attraxit humoris; chymum autem attractum

tractum circulando disposuit. Hinc animal non tantùm in esse individuali præservabatur, sed gradatim acquisivit molem.

Animalia minùs perfecta citiùs, perfectiora non tam citò fuerunt creata. Primò enim Pisces, dein volucres, gradatim autem animalia perfectiora. Postremò animalium perfectissimus, Homo, è limo terræ fuit productus.

Pisces, frigidioris futuri temperamenti, non tam intenso indiguerunt calore ad eorum procreationem: horum igitur Luna, sicut perfectio-

rum Sol subserviit productioni: Luna enim quod è mari exhalavit, specificâ quâdam vi procreandi ex aquis animalia fuit prædita. Porrò Sol, ob intensum suum calorem, aquas impressionis maximè capaces attenuaret adeò, ut animalium productioni forent inutiles: sed Luna quòd remissiorem à firmamento in debili suo lumine deportat calorem, earum indulgenter disgregat heterogeneïtatem, nec eas ultra modum attenuat. Animalia terrestria per Solis calorem fuerunt producta, quæ ab invicem differunt prout à di-

diversis terræ partibus fuerunt fabricata. Perfectiora à partib⁹ soli propinquis, imperfectiora à remotis. Homo, animalium perfectissimus, è centro (penès latitudinem) istius terræ partis ex qua exhalavit Sol.

Hæc Orientalis terræ pars, parili utrinque potita calore, cæteris cùm calidior fuit tum temperatior : quæ ob majorem suum præ cæteris calorem, omne genus arboribus scatebat ac herbis: & fuit quasi hortus voluptuarius, seu paradisus. Locus igitur hic non aliter preservationi quàm hominis procreationi fuit aptis-

sima. *Sed non est nostrum propositum impræsentiarum verba multiplicare: quare plurima tacens, tantummodo ad ea, quæ contra theses has objici possunt, respondebo.*

Cap. XII.

Terra secundùm prædictas hypotheses non potuit esse rotunda: sed experientia testatur terram habere perfectam globi rotunditatem. Ergò Hypotheses sunt falsæ.

Major probatur in hunc modum.

Etiamsi totum cœlum circumagatur

agatur spatio viginti quatuor horarum, nihilominus pars Polis propinquior minori circumvolvitur ambitu, indidem non tam celeriter movet. Si igitur motus caloris sit caussa; calor autem, penès intensionem, remissionem, mediatatem, sit caussa raritatis, densitatis, & humiditatis, terra rotundâ superficie nequaquam comprehendi potuisset; sed hâc figurâ A extitisset.



Ponsio. Terra & aqua panuclei figuræ primitus fuerunt: atqui collectis aquis, terræ & aquæ corpora in unam quasi massam compacta perfectam globi figuram habuerunt. Aqua enim

enim firmamenti motum secuta, ad motûs firmamenti diversitatem quadravit. In Oriente & Occasu gibbosior fuit, Polos versùs humilior. B



Verùm enimvero propter

violentum aquarum, tunc temporis motum maris, & terræ fuit * transpositio & in hunc (C) modum jam



usque conglobantur. Quamvis enim continuata cœli motio

tio aquas redire non sivit: nîl tamen impedit quò minùs, terram permeando, descensum indagarent.

Una stella est multoties terræ magnitudinis: impossible igitur stellas omnes è terrâ exhalâsse. Ob

Nullâ ratione demonstrari potest, stellarum maximam partem terræ centesimam magnitudine superare, corpus enim lucidum vix distantiâ minuitur, ut opacum; *v. g.* grandioris staturæ vir arcem ascendat arduam; corvus præ magnitudine apparebit: at lucerna noctu alicubi sublimiùs Re

collocetur, stellæ magnitudinem præferet.

Absurdum est dicere frigus caloris esse privationem : privatio enim non potest aliquid operari : at frigus multifariam operatur. Quandoque enim dolorem, aliquando autem levamen adfert: imò vitam conservat, ac mortem infert.

Talia privationibus evenire, plurimis exemplis potest patefieri.

Defectus edulii eadem præstat : levat, interficit, affligit, vitam conservat.

Calor est intensior versùs ter-

ræ

ræ centrum quàm in parte superficiali. Ast secundùm prædictas hypotheses remissior esset, ergò falsæ sunt. Major probatur, plus salis metallis & mineralibus inest, quàm vegetabilibus; quò salsius autem corpus, eò calidius: sequitur indè metalla & minera-lia vegetabilibus esse calidiora. Nemo autem ibit inficias mineralia & metalla terræ meditullii naturæ participes esse, sicut nec vegetabilia superficiei.

Calor * solidum corpus in salem convertit: quare sal non corpori inest, sed fit per accidens, verbi gratiâ: infundatur super cineres aquæ calen-

* Den Resp

tis q. s. & mox effundatur. Toties reiteretur, donec omnis salsedo à cineribus sit extracta. Iterum comburantur, ac salem rursum acquirent: qui si trahatur, cineres adhuc salsedinis erunt capaces, ac tamdiu, donec omnis eorum materia sit absumta.

jectio *Calorem firmamenti continuo motu præservari improbabile. Si enim calor, quâ calor, motu præservaretur, uniuscujusque rei calor non potuisset nisi per continuum motum subsistere.*

ponsio. Ità se res habet, calor non potest præservari ullo modo absque continuo motu. Obser-

vandum

vandum verò intensiorem calorem celeriori indigere motu, remissiorem tardiori. Ignis absque celerrimâ attractione & quasi circulatione aëris uno momento continuare nequit.

Animalium calor per motum præservatur, ut videre est in circulatione sanguinis. Vegetabilium autem remissus calor continuo motu, tardo licèt, subsistit. Alia corpora, quæ nullum habent motum, eorum calor non præservatur, sed per calorem ambientem paulatim dissipantur.

FINIS.

F183 178
B 5473A.5